

MEMORIA

VIRI

MAGNIFICI GENEROSI ATQVE ILLVSTRIS
DOMINI

NICOLAI A BRÖMSEN,

EQUITIS AVRATI, CONSILIARII CAESAREI

ET

CONSVLIS LVBECENSIS,

OCCASIONE ORATIONIS GYMNASTICAE

DE CAROLO V CAESARVM NVLLI SECVNDO

EX NVMMO LVBECENSI

IPSIVS AVSPICIIS CVSO



VVLGO

Brömsen - Thaler

D. X. IVN. A. MDCCXXIII HLQC HABENDAE
INSTAVRATA

A

IO. HENR. A SEELEN

GYMN. LVBECA. RECT.

LVBECAE. OPERIS GREENIANIS.

MEMORIA
MAGNIFICÆ MÆMORIÆ VITÆ MÆSTRI
DOMINI
MICHAELIS ROMÆ
ECAHIS VARAII CONSILIA RII CÆSARII
CONSULIS LABECENSIS
DE CAROLO V GÆSARIA
NAVI SECANDO



Pol. 8. II. 1474 / mp



IO HENR. A. SEERIEN
GÄVLE PÄRLIG REGT.



§. I.

Nter Viros splendidis honoribus, per insignibusque meritis conspicuos, quos magno numero protulit generosa familia Brömseniana, eminet NICOLAVS a BRÖMSEN, qui saeculo decimo sexto magnifica Consulis Lubecensis dignitate iuit illustris. Operae idcirco pretium omnino exstimaui, eius memoriam quodammodo instaurare. Quamuis enim perfecta & omnibus numeris absoluta vitae ipsius ac rerum gestarum descriptio hoc quidem tempore, ob documentorum defectum, dari nequeat, varia tamen memorata digna de eo ex idoneis monumentis licet cognoscere.

§. II.

Tres ante Nostrum iam vixere NICOLAI, gentis Brömseniane ornamenta, quorum mentionem a V. Cl. Io. Henr. Büttnero (1) iniectam videmus. Noster vero NICOLAVS IV licet tempore fuerit inferior, munerum tamen ac dignitatum splendore reliquis superior extitit. Patre natus est HENRICO a BRÖMSEN, viro, qui in ciuili pariter ac litteraria republica permagno fuit honore ac nomine, adeoque cum generis nobilitate doctrinae virtutumque nobilitatem felicissime coniunxit. Cum enim Bononiae litteras strenue excoluisset, ibidemque non solum I. V. Licentiatus esset creatus, verum etiam splendidissima Rectoris Academiae munia summa cum laude administrasset, circa an. 1472 concessit Lubecam, a cuius almae ciuitatis Conscriptis Patribus an. 1477 Senator, & aliquo temporis spatio interecto, Consul electus, salutis Lubecensis usque ad an. 1502. d. 25. Mai., quo die vitam cum morte permutauit (2), fuit studiosissimus. Matre gauifus est Matrona & generis & virtutum splendore illustri, ELISABETHA, IOANNIS WESTPHALII, Consulis Lubecensis, filia, & WILHELMI WESTPHALII, Epis-

): (2

copi

(1) Genealog. Patric. Luneb.

(2) Mellii Gründl. Nachr. von Lübeck p. 48. Büttner, I. c.

copi Lubecensis , sorore, an. 1495 defuncta (3). De vita Nostri in iuuentute transacta nihil quidem memoriae proditum reperio, non est tamen dubium, quin, laudatissimis maiorum exemplis incitatus , in scholis, tam inferioribus, quam superioribus , ad praeclarissimarum litterarum studia strenue incubuerit (4). Vnde etiam honoribus maximis dignus fuit iudicatus. Nobilissimum amplissimumque ordinem Senatorium Lubecensem an. 1514 felicibus auspiciis ingressus (5), tam prudenter, tam dextre, tam praeclare res administravit publicas, vt fasces obtinendo Consulares ad summum honoris in hac Republica fastigium ascenderet. Quo anno hoc contigerit, non ausim definire. Nominant quidem aliqui an. 1527. Sed non video, qua ratione cum hoc calculo verba Chytraeana, deinceps adducenda, queant conciliari. Quare etiam celeberrimus noster Mellius , rerum olim Lubecae gestarum longe peritissimus , annum Consulatus Brömse- nii nostri primum tacet. Commemorabilis facta est honorum accessio per augustissimum Caesarem, CAROLVM V, qui Nostrum creauit Equitem, eidemque inter Consiliarios intimos locum benignissime concessit. Hanc dignitatem demonstrat Epitaphium , infra addendum; illam vero CAROLI Diploma, dignum, quod ex rarissimo & in perpaucorum tantum manibus versante libro (6) hic legatur. Ita vero habet:

*Diploma, quo Diuus Imperator CAROLVS V
nominat Nicolaum de Brömsen Militem & Equitem
fecit. Bruxellae 1531.*

*CAROLVS QVINTIVS etc. Nostro et Imperii sacri fidei dilecto Ni-
colao Brömsen militi ac Equiti aurato , gratiam nostram Caesaream et
omne bonum. Dignum et Caesareae celsitudini consentaneum arbitra-
musr,*

(3) Büttner, l. c.

(4) I. V. Doctorein eum appellat Io. Mollerus in Isag. ad Hist. Chermon. Cimbr. p. 446.

(5) Mell. l. c. p. 51.

(6) Verzeichniß von denen Adelichen Familien der Zirckel - Gesellschaft in Lübeck. 1689. 4. Diploma Caroli legitur p. 105 sq.

mur, ut qui vitae suae ornamenti singulari quapiam virtute ceteris
 praestant, et in Nostris ac sacri Imperii rebus omni studio se exercent,
 fideliaque praestant obsequia, Nostra etiam munificentia et auctoritate
 decorentur. Quapropter cupientes tuam singularem fidem & devotionem
 in Nos et sacrum Imperium, et alia opera virtuosa, ex animi nobilitate
 & strenuitate provenientia, quibus te ornatum tam fide dignorum
 testimonii, quam argumentis infallibilibus edocet sumus, aliquo
 munificentiae nostrae munere prosequi, ac praemio virtuti debito inuitare,
 ut feruentius in officio perseueres. Te praefatum Nicolaum Brömb-
 se militem et Equitem fecimus, creauimus & constituimus, & militari-
 bus fascibus, militarisque cinguli decore insigniuimus, & tenore praes-
 sentium facimus, creamus, instituimus & insignimus gratiose. Decer-
 nentes auctoritate nostra Romana Caesarea et edito firmissimo statuen-
 tes, ut de cetero ubique locorum & terrarum omnibus & singulis exerci-
 citiis, actibus & studiis, ac illis honoribus, officiis, iuribus, insignibus,
 priuilegiis, praerogatiis, gratiis & libertatibus tam realibus, quam
 personalibus, sive mixtis, gaudeas & fruaris, quibus coeteri milites a
 nobis et sacro Imperio huiusmodi ornamentis insigniti gaudent et fruuntur
 quomodo libet consuetudine vel de iure, absque alicuius contradic-
 tione et impedimento. Mandantes et serio praecipientes omnibus et sin-
 gulis sacri Romani Imperii Principibus, tam ecclesiasticis, quam secula-
 laribus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comiti-
 bus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Prae-
 fectis, officialibus, ciuium Magistris, Iudicibus, Consulibus, heroal-
 dis Caduceatoribus, Ciubus, Communitatibus & denique omnibus no-
 stris et Imperii sacri fidelibus dilectis, cuiuscunque status, gradus aut
 conditionis fuerint, ut ea, quam tibi largiti sumus, dignitate & prae-
 rogatiis ac insignibus eius qualicunque de jure vel consuetudine ser-
 ventur per totum Romanum Imperium, et ubique locorum frui & gau-
 dere permittant, quantum gratiam nostram charam existimant, et poe-
 nam viginti marcharum auri puri pro medietate fisco Nostro Caesareo,
 reliqua vero parte iniuriam passi usibus applicandarum euitare volue-
 rint. Harum testimonio literarum Sigilli Nostri appensione munitarum.
 Datum in oppido nostro Bruxella die decima quarta mensis Augusti.
 Anno Domini M.D.XXXI Imperii nostri XI Regnorum Nostrorum XVI.

CAROLVS.

)(3

In

In deliciis Nostrum fuisse Carolo, adductum Diploma satis superque confirmat. Merebatur sane gratiam Caesaris vir, qui ornamentis Imperii poterat accenseri. Merebatur etiam fauorem & amorem Ciuium, de quibus bene mereri quoquis modo stu-debat. In turbis quidem Wollenweberianis, Lubecae nostrae admodum perniciosis, inter Ipsum atque nonnullos Ciues eo tempore, quo sacra in hac ciuitate erant emendanda (7), ortae sunt similitates, ob quas Vrbe etiam excedendum sibi esse satius putauit. Interiectis tamen aliquot annis in antiquum honoris locum magna cum gloria fuit restitutus (8). Retinuit dignitatem, & in ipso demum mortis articulo honorificentissima munia reliquit. Factum istud est an. 1543, d. 1. Nov., docente, praeter Nostri effigiem, publicum Confistorii locum condecorantem, Epitaphio, quod vti Templum Iacobaeum et Athenas nostras Lubecenses (9) ornat, ita etiam hanc Memoriam Brömserianam orna-bit. His autem absoluuntur verbis, pro saeculi decimi sexti ratione expressis : IM IAHR M D XLIII DEN I NOVEMB. IST DER WOLEDLER, GESTRENGER VND VESTER H. NICLAWES BRÖMSE, RITTER VND KAYSER CAROLI V GEHEIMER RATH, VND BÜRGERMEISTER DER STADT LÜBECK, IN GOTTE DEM HERRN VERSTORBEN. Conseruat hoc monu-mentum Nostri memoriam, quam alia, non minus egregia, nunquam

(7) Sacrorum emendationem vrgentibus, diligenter expensa hac magni momenti re, Noster assensit. Vid, quae hanc in sententiam annotauit Hilmerus de Reformat. Lubec. p. II. 16. 17.

(8) Leg. Nicol. Brömsen und Herm. Plönnies Schrift, worinnen sie die Ursache ihrer Wegreise anzeigen. A. 1531. f. pat. Add. Dav. Chytraei Chron. Saxon. P. II. ad A. MDXXXI. p. m. 171sqq. Conf omnino ad A. MDXXXV. p. m. 254, vbi haec extant verba : Lubecenses intefinis in urbe diffensionibus fracti, assidue etiam mandante Imperatoris Camera, ut veterem formam administrationis Reip. reuocarent, tandem in conuentu ciuitatum Anzae eorum deduci sinebant, ut noui Senatores & ipse Consul, Georgius Wollenweber, officio suo se abdicarent, & NICOLAVS BRÖMSEN, Consul, qui initio harum mutationum & tumultuum urbe exceperat, & Senatores veteres, exente Augusto, in pristinam dignitatem restituerentur.

(9) P. I. pag. 118.

quam sinent interire. Propagare coeperat splendidam suam familiam per vxorem laudatissimam MARGARETAM, TIDEMANNI BERCKII, Conf. Lubec. filiam, ex qua ei HENRICVS, qui caelebs obiit: ELISABETHA, vxor primum HERMANNI MEYERI, deinceps HIERON. LVNEBVRGII, Conf. Lubec: CATHARINA, vxor primum IOANNIS HAKERS, Senat. Luneburg., deinde HIERONYMI GLÖDEN, Senat. Luneb: et MARGARETA, vxor GOTTHARDI ab HöVELN, Senat. Lubec. nascebantur (10). Viget vero hodieque (faxit Deus, perpetuo!) generosa ipsius stirps tum in aliis, tum in Viro nobilissimo, generoso, prudentissimoque DN. HENRICO a BRÖMSEN, qui dum hoc tempore Senatoris & Praetoris munia summa cum laude obit, felicissimus pristinorum in nostram Rempublicam meritorum Brömsenianorum instaurator ac conseruator iure meritoque est dicendus, eiusque prosapia, cuius felicitatem iubeat Numen esse consummatam! Viget ipsius nomen in aliis rebus, aeterna dignis memoria, quarum duas non possum non attingere. Prima est heroica illa actio, qua GVSTAVVM, Sueciae Regem, a Christierno II, Daniae Rege, captum regno restituit. Dignum iudico factum, quod idonei testis, Davidis Chytraei, testimonio comprobetur, & probatissimi huius historici verbis recenteruntur. Sic vero ille (11): Postea (1518) Christierno II, Daniae Regi, nominatus ipsum et Collegas obsides petenti, in Daniam pro captivo abductus, ac in custodia arcis Inticae Kalò retentus est. Ex qua paulo post mutato habitu elapsus, cum magnis itineribus Lubecam peruenisset (1519), statim eum praefectus arcis Kaloensis, Ericus Banner, cuius custodiae a Rege Christierno commissus fuerat, secutus est, eumque Regi Daniae restitui poposcit. Sed cum se hospitem, iuri Lubecae coram Senatu sistendi salutem conductum Gostauus peteret, nec se captiuum unquam fuisse, sed pro ipso Rege datum obsidem, iniuste ex regno Sueciae fuisse auctum testaretur, acquisite et patrocino NICOLAI BROMSII, Consulis, cuius praincipia tum in Vrbe auctoritas erat, cum plerique in Senatu Daniae Regi restituendum suaderent, Gostauus tum defensus, atque ita ex carcere Danico ad regnum Sueciae potentissimum, non secus ac veteres illi amplissimum Imperiorum conditores, Cyrus, Romulus, Deiokes, & patrum memoria Matthias Huniades, ex afflictissimis initiis, & desperata pene fortuna, diuinitus euectus est. Nam post aliquot menses, de consilio Nicolai Brömsii, clam ceteris ciuibus Lubecae consensa naui oneraria, cum mercatoribus in finum Calmariensem vetus, & cimba in littus ad Stenzö expositus, pedes Calmariam a Suecis adhuc defensam occulte (18. Mai.) ingressus, benigne a Ioannis Magni vidua, arcem feudi loco tenente, exceptus, cum indignam captiuitatem & mirandam liberationem suam ipsi & aliis exposuisset, & vicissim eorum querelas & gemitus de miserabili seruitute, qua patria opprimebatur, audiuerisset, ciues, Suecosque milites adhortatur, ne vho palto urbem, vel arcem Christierno dedant. Altera res, Brömsenii nostri memoriam ab interitu feliciter vindicans, est Nummus, ipsius auspiciis signatus, qui idcirco Thalerus Brömsenianus vulgo appellatur.

Ipsum

(10) Büttner. l. c.

(11) Chron. Saxon, P. I. L. VI. ad A. MDXX. p. 652 sq.

Ipsum nummum, hodie rarissimum, in fronte huius scripti malui accurate expressum fistere, quam prolixo, post viros doctos (12), hac opera iam defunctos, describere.

§. III.

Quemadmodum vero hic nummus nihil habet non commemorabile, ita expendi in primis meretur elogium, quo Imperator Carolus V Caesarum nulli secundus summo iure vocatur. Aggressus est hunc laborem iuuenis, qui laudabiliter eo contendit, ut commilitonum nulli esset secundus, et tam elegantissimae ac suauissimae Musices peritia, quam optimarum litterarum cognitione effloresceret,

IOANNES IACOBVS SÖLLING,

Grüninga - Halberstadiens.

Viri admodum reuer. & praeclariss. DN. IACOBI SÖLLING, Pastoris hodie Neo-Marchico-Nitzoviensis meritissimi, bonaes spei filius, & chorii nostri symphoniaci haec tenus Praefectus. Laudanda in eo, praeter alia, est constantia, qua per sexennium, & quod superest, coetui nostro Gymnastico interfuit. Cum vero tandem adest tempus, quo Patris iussu Lipsiensis Academia ab eo petenda, sub ipsum etiam abitum commilitonum nulli voluit esse secundus, sed laudabilem quoque solemni actu dicentium vale ritum obseruare. Publici sermonis argumentum ipsi suppeditauit per insignis numimus Brömsenianus, scilicet

CAROLVM V Caesarum nulli secundum.

Argumentum, quo dignius vix iuueniri poterat, in quo, si iuueniles interdum vires deficiant, quis prudens mirabitur? CAROLINA enim praestantia non iuvenilem, sed senilem, imo perfectam eloquentiam postulat. Tentauit tamen noster, & in grauissimo arguento vires experiri voluit. Auscultate igitur craftino die, enixe rogo Vos, MAGNIFICI DNN. CONSVLES, Patres Patriae optimi, perillustris DN. PRAEPOSITE, generosiss. DN. DECANE, summe rever. atque excellentiss. DN. SVPERINTENDENS, nobiliss. consultiss. et experientiss. DNN. SYNDICE ac DOCTORES, admodum reuer. & praeclariss. DNN. SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobiliss. generos. prudentiss. & ampliss. DNN. SENATORES, PROTONOTARIE ac SECRETARII, nec non omnes CAROLINAE maiestatis admiratores, oratorem nostrum, licet eius labor in solo conatu constat, & precibus meis, imo ipso CAROLINO nomine, quo nullum illustrius, splendidius, augultius, commoti, ostendite, quod benevolentia nulli sitis secundi.

P. P. Lubecae. d. IX. Iun. A. MDCCXXIII.

(12) Mellium in Spec. Syllog. Nummor. ex Argento Vncial. p. 13 sqq. Auctor. der Hamb. Histor. Remarq. 1702. p. 17 sqq. In Verzeichn. von denen Adel. Fam. in Lub. p. 43 de Brömsenio nostro, eiusque Nummo, leguntur sequentia: *Da hat er als Ältester Bürgermeister Reichsthaler schlagen lassen, da auf einer Seiten effigies Caroli V Imperatoris, auf der andern Seiten seine eigene Person, wie er kniend in vollem Kürüs zu Ritter geschlagen, und ihm der gedoppelte Adler durchs Wapen gezogen worden.*

